



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Helena Imperatrix. 18. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

3. S. Mammantis curator fuit Angelus, Tam ha-
mani sunt angeli erga clientes suos quorum tamen ne-
mores nec naturam habent, Et quam facile tu aver-
ris illorum familiaritatem qui tibi moribus vel affectu
contrarii videntur? *Conservare humanitatem quid aliud
est, quam diligere hominem, quia homo sit, & idem qui
nos sumus.* Lact., lib. 6, cap. 11.

S. HELENA IMPERA- TRIX.

18. Augusti.

*Oportuit Christum pati & ita intrare
in gloriam suam.* Luc. cap. 42.

PLerique filii Matribus debent meliorem
vitam quam iis cum lacte piè instillant, &
HELENA à magno filio Constantino, cui corpus
dederat animæ creditur recepisse splendorem:
siquidem, quam de cœlo doctus erat religionem
filius, tam largè piâ adhortatione & exemplis
communicavit Matri, ut in pietatis Christianæ
officiis cum filio deinceps decertaret. Plurimæ
ejus dote à fundamentis erectæ vero Deo sacræ
ædes, nullæ, quas visabat, non regia liberalitate
donatæ: viva verè Dei templa pauperes, milites
captivos, & qualicunque demum calamitate
oppressos sublevabat largitionibus, atque etiam
distribuebat. Palmare est, quo ejus religione quæsit

& inventa SS. Servatoris nostri Crux fuit, primaque veneratione adorata: & pars triumphati erat, cum convocatis, quæ Hierosolymis erant, omnibus Deo dicatis virginibus, ancillari Imperatrix habitu aquam affundit, cibosque & potum regiis porrexit ministra manibus in lætitiæ scilicet signum & Servatoris nostri imitamentum, Sic merita optimè de Christiano orbe præsentem Imperatorem filio, octuagenaria defuncta, cœlum ingressa est, ad quod clave Crucis, quàm ante sedula invenerat, viam sibi aperuit. *Lippeloo. ex Eusebio.*

MEDITATIO.

Crux consolatio Christianorum.

i. **N**ihil tam consolatur Christianum, quam sanctæ crucis aspectus: ea docet quam fortiter exemplo Christi adversa pati debeat. Crux fidem vivificat, spem confirmat, & accendit charitatem: calumniæ, paupertas, omnia denique mala jucunda sunt intuenti Iesum de cruce pendentem. Quisquis te aspicit Amantissime Jesu exaltatum à terra, vel sanatur vel certè dulcescunt dolores ejus. *Non interrogas quæ pateris, sed quæ Christus passus est. S. Bern.*

2. Quàm suave est Christiano! imminente morte crucem intueri, mori in ejus amplexu. Ah! quantum illo momento confidet cruci! quantum sanguini, quem Iesus in cruce pro eo fudit, nihil jucundius, nihil tutius quàm in cruce mori. *Contemnenda tibi mors est, cui Christus occisus est ante oculos. Cyprian.*

3.

3. Quanto gaudio afficientur veri Christiani cum supremo iudici die videbunt signum crucis. At quanto dolore cruciabuntur improbi, cum idem signum, quod tanto odio habuerunt, contemplantur! lamentabuntur illi quod levem & momentaneam crucem deposuerint, ut gravissimâ & æternâ cruce sine spe, sine consolatione opprimantur.

S. LUDOVICVS Episcopus

19. Augusti.

*Modestia vestra nota sit omnibus
hominibus Paul. ad Philip. 4.*

LUDOVICUM Caroli Regis Siciliae primo post S. Francisci filium tenes. Puerulus somnum stans humi precationibus interpellavit. Caponem quo pauperum præda esset, pio furto è mensa ablatum, cum parens id subodoraretur, in rosas vertit. Arma ludicra tractantem cum equus abjecisset, vicissim mundum ludibrio habiturus arma ipse & equos abjecit. Quare quo die Soror in manum hominis convenit, ipse sacris initiatur Virginitatem Deo despondit, dæmonemque sub se insidiantem signo Crucis elusit. Aeger voto ad D. Virginem facto è morbo surrexit, & in D. Francisci familiam abiit. Inde ad Pontificatum Tolosanum evectus est. Virginem
uti